













DE  
LVCANI PHARSALIA  
DISPV TATIO

1767 18

QVAM  
EX AVCTORITATE ORDINIS PHILOSOPHICI AMPLISSIMI  
A. D. XXIII. APRILIS MDCCCLXVII.

DEFENDENT  
IOH. GEORG. MEVSEL  
ART. MAGISTER ET INSTITVTI REGII DISCIPLINAR. HIST.  
QVOD GOTTINGAE FLORET, SODALIS

ET  
GOTTFR. AVG. BÜRGER  
ASCHERSLEBIENSIS  
LITTERARVM SACRARVM ET ELEGANTIORVM  
CVLTOR.

PARS PRIOR.

HALAE  
EX OFFICINA CVRTIANA.

*Hamburg pro  
Vico Celebrissimo  
Venditum von Nr. 2 der Gießgasse am St. Jacobi Progr.*

DE  
INVCAM PHARSALLA

DISPUTATIO

AVVCTORITATE ORDINIS PHILOSOPHICI AMPLISSIMI

ION GEORGI MRYSELL

GOTTFR. AUG. BÜRGER



*Handwritten notes in cursive script, including 'Halle 1803' and other illegible text.*







DE  
LVCANI PHARSALIA.

---

— — Nil fuit vnquam  
Sic impar sibi — —

---



ulchri et venusti sensum valde esse obscurum  
atque fallacem iis quidem in hominibus, qui-  
bus peiore

— luto finxit praecordia Titan,

nemo sane negabit, nisi cui ipsi Apollo iratus,  
Musaeque nec suauiter nec iucunde vnquam  
arrisere. Praeter hos etiam nemo erit, qui non affirmet, omne  
negotium, omnia opera, in quibus ludunt Veneres Grataeque,  
iudices omnino semper habuisse diuersos. Artes hoc clamant: lit-  
terae testantur politiores. Statuam elaboratissimam intuerur stupidus:  
nihil sentit pulchritudinis: nihil est, quod mentem hominis callo

A

obdu-

obductam moueat: quid? quod vile et inane opus esse temere iactet. Aestimator recti verique sensu a natura largius imbutus indignabundus exclamat: *Vtinam meos haberes oculos, et dea tibi videretur!* Titiani soli colores viuidissimi oculos vel obtusissimos ferientes tangunt quidem imperitum: Raphaelis picturas non adeo splendentes, at manum linearum peritissimam prodentes spernit idem atque contemnit. In primis vero mordacem imprudentiae inscitiaeque vim inde ab origine sua experta est ars, cuius artificibus

— *coelo descendit ab alto*  
*Ad noua diuinis facta cavenda furor.*

Quem, quaeso, fugit, Homerum adeo, poetam perfectissimum, suos habuisse obrectatores, qui non solum varia Iliados loca vituperarent, in quo quidem recte faciant; sed etiam essent tam hebetes amentiaeque furore acti, ut totum carmen diuinum reuerterent, omniaque pulchritudine elegantiaeque destitutum esse ingenium sine comparatione maximum, audacter fati et imperite clamore streperent incondito? Miltoni poema praestantissimum quam diu contemtum atque sepultum iacuit in tenebris! Quis autem, si haec sciat, mirabitur, Lucanum, nec Homero, nec Miltono comparandum, laudari ab his, culpari ab illis? Eo certe tempore, quo litibus nuper in Francogallia de Pharsaliae aestimatione acerrimis exortis intentus fui animumque ad causas rixarum indagandas appuli, vehementer profecto obstupui, cum ingentem sententiarum de poeta nobilissimo varierem per multa saecula a Lucano ipso usque ad nostra tempora dominantem animaduertentem. Legi veteres: legi recentiores. Alius exclamare: o Lucanum diuinum! o ingenium felicissimum nullisque laudibus exaequandum! quam suaui, quam iucunda tibi fuerit necesse est consuetudo cum Mnemosynae filiabus!

*Idaeo qualis fudit de vertice flores*

*Terra parens, cum se confesso innoxit amori*

*Iupiter, et toto concepit pectore flammam:*

*Emicure rosae, violaeque et molle cyperon:*

*Albaque de viridi riserunt lilia prato.*

Alius in aurem mihi insuffurrare: ne credas homini admiratione insanienti plane inconsiderata! omnia alia tibi monstrabo; Lucanum

num rectius appellabimus declamatorem ineptum; e vatum numero prorsus ille est eiiciendus. Alius denique iudicandi facultate illis forte superior et acutior occinere mihi decantatissimum illud: *Est modus in rebus* etc. Sic fere alius alii aduersabatur, sic non raro irarum pleni in diuersa plane sibi que repugnantia ruebant, neutraque pars cedebat alteri,

— ὡς τ' ἀμφ' ἔροισι δὲ ἀνέρε θεηδάσθον,  
 Μέτ' ἐν χερσὶν ἔχοντες ἐπιζύνει ἐν ἀρέσῃ,  
 Ὅτ' ὀλίγω ἐνὶ χώρῳ ἐρίζητον περὶ ἴσης.

Quid ego? diuersas in partes raptus substiti incertus, haesique anceps. Defatigatus laborem ingrato operaque perdita ipsum salutare poetam, Pharsaliam legere, relegere diligenter, caput et fontem, ex quo mala ista fluxere, ipsum adire mihi que aperire, atque hac tandem ratione eo peruenire, quo omne dissidium tolli possit, mecum constitui. Labore exantlato adstitit mihi Bonus Euentus vultuque sereno et amico ausibus meis annuere visus est. Hinc ad homines doctos mea qualiacunque referendi cupido me incessit. Hinc enatum hoc, quod vobis offero, lectores candidi, scriptum. Ante vero, quam ipsam sententiam meam iudiciis vestris humanissimis subiiciam, audite diuersas istas opiniones earumque rationes!

Quaeso igitur a vobis, vt in hac causa mihi detis hanc veniam, vt ab ipsorum Romanorum de Lucani Pharsalia sententiis incipiam et historiam litis deducam vsque ad nostram aetatem. Nonne vero hanc operam nobis iam praestitit Bailletus? Recte, praestitit nonnulla, et vt videatis, me sine furo et tergiuersatione vobiscum esse acturum, indicabo in margine ipsum librum, quo multi, hercle! tanquam Palladio quodam vtuntur a). Equidem gratias ago manibus Bailletianis pro fidei ista sententiarum ex omnis generis scripioribus compilatione. Sed ignoscant etiam mihi, si factum hoc esse contendam raro iudicio adiecto, multa que in libro isto desiderari. Ipse etiam legem mihi imposui, ex qua omnia loca, nisi librorum

A 2

penu-

a) Jugemens des Savans sur les principaux ouvrages des auteurs, par Adrien Baillet; revus, corrigez, et augmentez par Mr. de la Monnoye. Nouvelle edition. à Amsterdam MDCCXXV. 12. T. III. P. II. p. 276. sqq.

penuria prohibuerit, ex ipsis scriptoribus repeti et inspexi; multa deinde addidi, quae Bailletum fugerint, aut post mortem eius dicta fuerint; diiudicare tandem breuiter studui, quantum quidem potui, varias eruditorum opiniones atque sententias.

Agmen ducat *Petronius*. Iure quidem dubitari potest, utrum Lucanum tangere vulerit, an alium eius temporis poetam, qui etiam carmen de bello ciuili forte conscripserit, in animo habuerit: sed, quia valere potest hoc iudicium de Lucani Pharsalia, multique fortasse inde sententiam suam de carmine isto deriuarunt, adscribamus ea, quae eques ingeniosissimus ex Eumolpi persona disputat: *Præterea curandum est, ne sententiae emineant extra corpus orationis expressae: sed in texto vestibus colore nitcant, Homerus testis, et Lyrici, Romanusque Virgilius, et Horatii curiosa felicitas. Caeteri enim, aut non viderunt viam, qua iretur ad caermen, aut visam timuerunt calcare. Ecce belli ciuilis ingens opus quisquis attigerit, nisi plenus litteris, sub onere labetur. Non enim res gestae verbis comprehendendae sunt, quod longe melius historici faciunt: sed per ambages, deorumque ministeria, et fabulosum sententiarum tormentum praecipitandus est liber spiritus, ut potius furentis animi vaticinatio appareat, quam religiosae orationis sub testibus fides b). Egregia sane et digna Petronio vox! Verum est, Lucanum non adhibuisse deorum ministeria: sed quaerere liceat, an in rebus per se grandibus maximeque admirandis his ministeriis opus fuerit? an Lucanus carmen pangere vulerit epicum? an ex ingenii animique impotentia, aut potius consulto tormenta ista neglexerit? an sine his iniucunda lectu sit Pharsalia? et quis, quaeso, neget, sat multis usum esse Lucanum ambagibus, eumque minima tantummodo ex parte esse historicum? Quae omnia in altera disputationis parte fusius exponentur et illustrabuntur. Adiunxit Petronius specimen suae exemplum, ex quo intelligere debebamus, quomodo ex eius sententia carmen epicum de bello ciuili digne cani possit. Quae particula carminis sine dubio maioris magnum et diuinum quid spirat, maximeque nos delectari posse arbitror, si Petronius integrum de bello ciuili carmen conscripsisset: sed cum Douza tamen facere nollem,*

b) vid. Petronii Satyricon cap. CXVII.

nollem, qui, se *hunc* (Petronii) *impetum pluris facere, quam trecenta Cordubulensis illius volumina*, pronunciauit inconsiderate satis. Recte enim ipse Petronius addidit, *hunc impetum nondum recepisse ultimam manum*. Plura profecto non satis sunt polita adeoque recidenda. Et quis tandem centum loca pulchriora, quantum certo Pharsalia haber, vni isti Petronii loco postponet?

Prodeat nunc *Quintilianus*, ingeniosus litterarum elegantiorum arbiter! Quid ille? *Lucanus ardens, et concitatus, et sententiis clarissimus, et, ut dicam, quod sentio, magis oratoribus, quam poetis adnumerandus e*. Multum sane laudis Lucano tribuitur hoc iudicio: sed exturbatur idem ex poetarum classe. Quid igitur? Genio saeculi abreptum credo *Quintilianum* haec pronunciaisse. Omnia carmina maiora exigebantur et examinabantur trurina, ut ita dicam, Homericæ atque Virgilianæ; alius formæ carmina maiora pangi non posse existimabant forte Critici; deorum ministeria plane abesse non debere credebant. quæ ratio et hodie apud multos obtinet. Quum ergo *Quintilianus* Pharsaliam carmen esse putaret epicum, Lucanumque plane dissimilem esse Homero Virgilioque animaduerneret, eiiciendum eum censuit e poetarum choro. Sed qui locus tum erat illi tribuendus? Historicum non esse Lucanum bene intellexit *Quintilianus*. Ut igitur bonus Lucanus haberet, quo pedem figere et sedem collocare posset, deduxit eum rhetor in oratorum classem. Orationes pulcherrimæ splendidissimæque Pharsaliæ intextæ procul dubio effecerunt, ut *Quintilianus* hanc pronunciaret sententiam. Torone autem Pharsalia constat orationibus? nonne permulta alia admista egregia ac diuina? Vereor etiam valde, ut Lucanus, licet numeros ei subripias, oratoris personam semper sustinere possit ipsis in orationibus illis. Ne sermoni quidem panegyrico eas omnibus ex partibus inseruire posse arbitror, quia orator, qui Lucanica tanquam sua usurpare veller, nimis tumidus incederet atque grandis, ideoque videretur plane intolerabilis, quare facile *Casp. Barthius* d) eius eloquentiam appellare potuit corruptam. Oratorem enim non videmus, sed poëtam altiora spirantem.

A 3

Notum

e) vid. Instit. oratt. Lib. X. cap. I. pag. 503. edit. Gesneri.

d) vid. eius Aduersaria L. LIII. cap. VI. p. 2487.

Notum est *Statii* Genethliacō Lucani e), vbi in poetae nostri laudem praeter alia haec:

*Mox coepta generosior iuuenta  
 Albos ossibus Italis Philippos,  
 Et Pharsalica bella detonabis.  
 Et fulmē ducis inter arma diui,  
 Libertate grauem pia Catonem,  
 Et gratum popularitate Magnum.  
 Tu Pelusiaci scelus Caesopī  
 Deslebis pius, et Pharo cruenta  
 Pompeio dabis altius sepulcrum.  
 Haec primo iuuenis canes sub aeuo,  
 Ante annos culicis Maroniani f).  
 Cedet Musa rudis ferocis Enni  
 Et docti furor arduus Lucreti.  
 Et qui per freta duxit Argonautas.  
 Et qui corpora prima transfigurat.  
 Quin maius loquor, ipsa te Latinis  
 Aeneis venerabitur canentem. cet.*

Quae cum maximam Lucani laudem contineant, adeoque conferant, quin et praeferrant Pharsaliam Aeneidi, mirum in modum Barthio mouere stomachum, ita, vt nullo plane modo Lucanum cum Virgilio comparari posse, acriter contenderet g). *Miror vero*, inquit Bar-

e) vid. *Statii Silv.* L. II. p. 44. fgg. ed. Paris. 1600.

f) Ipsum Lucanum Virgilio sese comparasse saepiusque dixisse: *Quantum mihi restat ad Culicem?* scriptor vitae Lucani, qui vulgo Suetonius creditur, testatur. Pharsaliam certe Noster iunior scripsit, quam Virgilius Aeneida. Lucanus esim XXV aut XXXVII annos (dubitarur enim) natus vitaque excedere a Nerone coactus, venas sibi praecidit: Virgilius autem Aeneidi circa annum aetatis XXXX demum manum admouisse dicitur. Vid. omnino HEYNI, *Viri Cel.* cuius memoriam ob institutionem fidelissimam beneficiaque alia innumera sanctissime semper colam, *Virgillii vita per annos digesta*, editioni recentissimae Virgillii praefixa. An vero Lucanus Pharsaliam prius scripserit, quam Virgilius Culicem, incertum videtur. Donatus quidem Culicem a Virgilio scriptum esse contendit anno aetatis XV. vid. *Donati vita Virgillii* p. CXXV. ab eodem Viro doctissimo editioni Virgillii elaboratissimae praemissa. cf. *Barthius* ad *Statii Silv.* p. 259.

g) vid. eius *Aduersaria* L. LIII. cap. 6. p. 2487. 14. cf. eiusd. animaduersif. ad *Statii* locum laud.

Barthius, iudicium Papinii — Quod hominis poetico ingenio iudicium obstupescit, cum primum legi, postea vero prorsus omittendum arbitratus sum, ut quod ex futili et vix semisana adulatione prolatum sit. Cum tantum horum operum sit discrimen, ut pudet me collationem instituere. Instituit tamen Quintiliani deinceps iudicium, quo Horatius, Virgilius et Lucanus aequales evadunt h), affert, iterumque obstupescit et indignabundus subiungit: Vide, quam fatui sint capitis in iudicandis poetarum scriptis forenses illi caussidici! Nos vero an talis comparatio recte institui possit, alio dispiciemus tempore.

Cum Statio consentit Martialis meus, quippe qui non vno epigrammate laudes celebrauit Lucani. Praeter alia ille ad Licianum:

*Apolloodoro plaudit imbrifer Nilus,  
Nasone Peligni sonant,  
Duosque Senecas, unicumque Lucanum  
Facunda loquitur Corduba i).*

Et de natali Lucani:

*Haec est illa dies, quae magni conscia partus,  
Lucanum populis, et tibi, Polla, dedit.  
Heu, Nero crudelis, nullaque inuisior umbra:  
Debit hoc saltem non licuisse tibi k).*

Laudant igitur Stadius et Martialis Lucanum fauentque illi. qua ratione commoti si quaeritis, audite Burmannum! *Quid de iudiciis, inquit ille l), Statii et Martialis, qui Lucanum inuidiose laudauerunt statuendum sit, facile est colligere, si, ut optime Barthius m), hos parasitos et coenipetas Poetas, ideo Lucanum tam degeneri animo laudasse constat, ut gratiam Pollae, eius viduae, mulieris ditissimae, captarent, quum neuter eorum sit melior Poeta Lucano: quare laudari*

h) vid. Dialogus de causis corrupt. eloq. c. XX. edit. Heum. Exigitur enim iam ab oratore etiam poeticus decor, non Attii aut Pacinii veteris iniquitatus, sed ex Horatii et Virgilit et Lucani sacro prolatus.

i) vid. L. I. epigr. 62.

k) vid. L. VII. epigr. 20. add. 21 et 22. L. VIII. ep. 52.

l) in Praef. ad Lucanum.

m) ad Statii II. Silv. VII. p. 246.

*daré à laudato viro et pulchrum, ita a stulto et nequam ignominiosum.* Ergo homo stultus es, o Stati, et tu, Martialis festiue, nequam? Doleo profecto sortem vestram: sed detestor simul Bataui rusticitatem, quam non veteres solum scriptores, sed et recentiorum non pauci non sine horrore abunde satis olim sunt experti. Non equidem defensoris prouinciam in caussa vestra de Lucano in me susciperem; tu enim, Stati, multum sane thuris obtulisti gratiae Pollae tuae n); et quid tu, Martialis? Venuustulum etiam te amoremiue Pollae spirantem deprehendo. Cantas enim:

*Intactas quare mittis mihi, Polla, coronas?*

*A te vexatas malo tenere rosas o).*

Te etiam magis Pollae gratiam et amorem captare, quam eius mariti mortui laudes dicere voluisse, ex epigrammate alio, forte post Pollae mortem, aut quia ex eius gratia excideras, confecto apparere mihi videtur, vbi tu de Lucano satis acerbe:

*Sunt quidam, qui me dicunt non esse poetam:*

*Sed qui me vendit bibliopola putat p).*

Et si igitur tuum et Statii de Lucano iudicium non magni aestimem: ramen non possum, quin Burmanni perulantiam et conuicia omnibus modis execrer.

Praeter alios veterum scriptorum laudarunt Lucanum *Seruius q)*, *Dion. Cato r)*, *Iornandes s)*, *Isidorus t)*, *Iob. Sarisburiensis.*

n) vid. Silv. II. 3 et 7. add. prooem. libri II.

o) vid. Epigr. L. XI. 90. cf. X. 63. 69.

p) vid. L. XIII. epigr. 194.

q) ad Aen. I. 281. *Lucanus ideo in numero poetarum esse non meruit, quia videtur historiam composuisse, non poema.*

r) L. II.

*Telluris si forte velis cognoscere cultus,  
Virgilium legito: quod si magis nasse laboras  
Herbarum vires, Macer has tibi carmine dicit,  
Corporis ut cunctos possis depellere morbos.*

*Si Romana cupis et cinica noscere bella,  
Lucanum quaeras, qui Myrtia proelia dicit.*

s) de rebus Geticis p. 73. (ed. Lugd. 1595). *Lucanus plus historicus, quam poeta.*

t) Grigg. L. VIII. c. 7. *Eiusdem sententiae.*



riensis <sup>u)</sup>). Taceo sequioris acui scriptores, quorum testimonia si cognoscere luber, adeatur *Barthius* <sup>v)</sup>). Transeo potius ad recentiores, qui data opera Pharsaliae pretium constinere conati sunt.

Omnes paene editores in praefationibus Pharsaliae praemissis sententiam tulere de Lucano; quorum omnium princeps, quantum noui, est *Iob. Sulpitius Verulanus* <sup>x)</sup>, cuius iudicium eo lubentius profero, cum elegans maximamque partem rectum sit, otiumque nobis faciat in aliorum similibus commemoratione. Ille igitur sic <sup>y)</sup>):

„Nunc ad varem, quem enarrauimus, me conuertam: qualisque sit,  
 „et in quo a Vergilio Poeta summo differat explicabo. Lucanus  
 „non minus oratoribus quam Poetis Fabii iudicio imitandus, cum  
 „puram historiae fidem sequatur, etiam historici sustinere personam  
 „videtur: singulorum enim pariter officio fungitur. Quippe ar-  
 „dens, concitatus, sententis clarissimus modesta figmenta et con-  
 „cinnas habet euagationes. Estque in concionibus artificiosus, ab-  
 „undans, virilis et cultus. In caeteris vero grauis, copiosus, am-  
 „plus, tersus, mira eruditione et rerum varietate persusus. Tanta-  
 „que carminis maiestate consilia, rationes, gesta que explicat: vt  
 „haec ipsa non legere, sed cernere videaris. Bella vero et conflictus  
 „non narrari, sed geri: vrbes trepidare: acies concurrere: et mili-  
 „tum ardorem terroremque putes aspicere. Cumque sit in descri-  
 „ptionibus frequens et locuples: in rerum perscrutanda natura ex-  
 „primendis que affectibus perspicax: in moribus iudicandis argutus:  
 „atque in omni ostentanda doctrina versatilis: quem Cosmographum,  
 „quem Astrologum, aut Mathematicum, aut Philosophum, dum  
 „eum legimus, desideramus <sup>\*)</sup>? Quis enim de rebus, in quas in-  
 „cidit, aut affectat: subtilius et accuratius disserit. Magnus pro-  
 „fecto est Maro, magnus Lucanus: adeoque prope par: vt vter  
 „sit

u) Polierat. L. II. c. 19. Inuit etiam poeta doctissimus (Lucanus): si tamen poeta dicendus est, qui vera narratione rerum ad historicos magis accedit.

v) Aduers. L. LIII. c. 6. p. 2489.

x) De hoc litterarum senescentium vindice ac reformatore vid. de la Monnoye ad Bailletum T. III. P. II. p. 290 sq. not.

y) Editione vtor a. 1514.

\*) Nollem haec excidissent viro optimo, nimio erga Lucanum amore abrepto,

„fir maior possis ambigere. Summis enim vterque est laudibus elo-  
 „quentiae cumulat. Diuus et magnificus Maro: hic sumptuosus  
 „et splendidus. Ille maturus, sublimis, abundans: hic vehemens,  
 „canorus, effusus. Ille venerabilius pontificio more quadam cum  
 „religione videtur incedere: hic cum terrore concitatus imperato-  
 „rio. Ille cura et diligentia cultus: hic natura et studio perpolitus.  
 „Ille suauitate et dulcedine animos capit: hic ardore et spiritu com-  
 „plet. Virgilius nitidus, beatus, compositus. Lucanus varius,  
 „floridus, aptus. Ille fortioribus telis pugnare videtur: hic pluri-  
 „bus. Ille plus roboris habere: hic plus terroris et acrimoniae.  
 „Illum grandi tuba uti et horrifona dixeris: hunc fere pari, sed cla-  
 „riori. Tanta denique est huic cum illo affinitas et in diuersitate  
 „praestantia: ut cum ad illam Maronis diuinitatem accesserit nemo:  
 „tamen nisi ille priorem locum apud nos occupasset, hic possideret.“  
 O suauitatem miram! o facundiam felicem! Si hic ardore isto diui-  
 no, quem in *Klotz* et *Winkelmanno* veneramus, incensus, Pharsa-  
 liam non legit, profecto nemo vnquam legit.

At nunc deuenimus in certamen et discrimen grande omnium-  
 que periculosissimum. Criticorum enim saeculorum superiorum  
 coryphaeus, magnus ille *Iul. Caesar Scaliger*, vir multarum litte-  
 rarum ingeniique sagacitate maxime conspicuus, impetu validissimo  
 audacissimoque adoritur Lucanum nostrum. Audiamusne (merito  
 enim dubitatio subit) virum, qui Iliada, poeseos fontem, turbare  
 et inquinare iniustissime temereque ausus est: Aeneida, riuulum  
 maxima ex parte inde deductum, qui sine Iliade plane nullus esset,  
 laudibus impudenter fere in coelum tollere studuit, longaque operi  
 Homericum praefendam esse duxit? qui Statium vocitat poetam  
 cultissimum atque ingeniosissimum, et sic de eo pronunciat: *Statius*  
*Heroicorum poetarum, si phoenicem illum nostrum* (Virgilium suum  
 innuit) *eximas, tum Latinorum, tum etiam Graecorum facile prin-*  
*ceps. Nam et meliores versus facit, quam Homerus, et figuris fre-*  
*quentior, et officiorum, habitudinum, animorum prudentior distri-*  
*butor, et castigatiorum author sententiarum 2).* Sed quid παραδόξων  
 genitor de Lucano? Audire, et, si sapitis, ridere, aut potius  
 indignamini! *Lucanum igitur, si diis placet, etiam Maroni parem*  
*facere*

2) vid. Poetices L. VI. p. 778. ed. Commelin. 1607.

facere ausi sunt, qui non tam illius magnitudinem, quam suam insolentiam is ineptius prodidere. Fatemur in illo ingenium magnum. equidem etiam plusquam poeticum condonabo. Effraenis mens, sui inops, serua impetus, atque iccirco immodica, raptaque calore simul, et calorem ipsum rapiens (hem! quam acute!) hostem maximum eius temperamenti, quod in vno omnino Marone et admirabile est et diuinum. Proinde, ut nimis fortasse libere dicam (cur igitur dixisti?) interdum mihi latrare, non canere videtur. Lepide, mehercule! et venuste latrasti, vir uerborum! Quid igitur post hos latratus? Principio pessimo consilio inscripsit Pharsaliam. Non putem. sic enim alii semper existimarunt, recte inscriptum esse carmen ab actione principe, proelio Pharsalico. Audiamus de hac re Iosephi Castalionem, licet Scaligero in aliis non comparandum. Ille igitur: Pharsaliam, inquit, optima ratione inscriptam puto eo, quod bello de Pompeianis partibus, deque uniuersa optimatum causa actum sit. quod et Cicero testatur, qui victo apud Aemathiam Pompeio, neque reliquias belli, neque spem sequi voluit inanem. cetera siquidem bella ad hoc unum proelium, tanquam ad caput, referenda sunt. Qua re sic ipse Lucanus exorsus est:

Bella per Aemathios plusquam civilia campos  
Iusque datum sceleris canimus a).

Corrigere audet deinceps Scaliger nonnulla, quae sibi non satis Latine ab Lucano dicta videntur. Recte vero reprehendit Lucanum, quod Pompeium in fuga post proelium Pharsalicum ex naua de fideribus quaerentem finxit. Nonne enim haec sunt ridicula? nisi forte poetam versibus prioribus excusare velis.

Saepe labor moestus curarum, odiumque futuri  
Proiecit fessos incerti pectoris aestus,  
Rectoremque ratis de cunctis consulit astris;  
Vnde notet terras; quae sit mensura secandi  
Aequoris in coelo; Syriam quo fidere seruet:  
Aut quotus in plastro Libyam bene dirigat ignis cer. b).

B 2

Post

- a) vid. Iosephi Castalionis variae lectiones, reculae in Gaudensii Roberti  
Miscellaneis Italicis eruditus T. I. p. 65.  
b) vid. L. VIII. vs. 165 sqq.

Post hæc notat Scaliger Annæum ob peccata nonnulla geographica. Equidem consultius a Lucano factum esse crediderim, si sibi ab hac negligentia cauisset: sed legimus eius Pharsaliam non, ut Strabonem aut Melam, ob Geographiae studium, sed ob vim et maiestatem poeticam.

Plane vero intolerabilis est Scaliger, cum dicit: *Sunt hæc scutica digna*, ubi Lucanus more poetico non secundum regulas Astronomiae, sed ex opinione vulgi locutus est. Immo potius, Hypercritice, fures tuæ reprehensiones scutica sunt dignissimæ! Vituperia Scaligerana profecto lectu tam molesta sunt, ut rectius de Scaligero ipso, minutias quascunque captante, dixeris, quod ille de Lucano, eum esse *taclii patrem* c). Verissime autem *Dubosius* acutissimus: Peccata contra Physicam aut Astronomiam poetis obiecta haud raro non poetam peccasse, sed criticos pruritu vituperandi actos fuisse, probant d).

His expositis miror, quod sit, quod *Marmontelius* e) putauerit, Scaligerum serio et in laudem poetæ nostri dixisse: *Lucani oratio superba et minax, auditorem inuitum, atque alibi animo haerentem, ubi vult tenere aut trabere abigit: Tyranno haud absimilis, qui ma- uult metui, quam amari* f).

Caeterum Scaligerum videas ab eorum sententia stare, qui Lucanum non historiam, sed poema confecisse contendunt. Cum enim quaestiones aliquot proponit et soluit, altera hæc est: An Lucanus sit Poeta? *Sane*, responder ipse, *est. nugantur enim more suo Grammatici, quum obiiciunt, illum historiam conscripsisse. Principio fac historiam meram: oportet eum a Liuiio differre. differt autem versu. hoc vero poetæ est* \*). *Deinde quis nescit, omnibus Epicis Poetis historiam esse pro argumento?* cet. g).

Scaliger omnino, ut multi alii, singulas tantummodo quasdam locutiones aut membra poetæ disiecta carpsit: totum neglexit locaque pulchriora intacta reliquit. Nonne vero in omnibus aliis poetis

e) vid. Poet. p. 262.

d) vid. Reflexions critiques sur la poesie et sur la peinture P. II. Sect. 32.

e) vid. Poetique françoise T. II. p. 69.

f) vid. Poet. p. 267.

\*) Male, o Scaliger, hoc argumento uti mihi videris in Lucani causa!

g) vid. Poet. L. I. c. 2. p. II.

poëtis idem parrauit? hac enim ratione Homerus illi est Graeculus ineptus et nugax, Virgiliusque poetarum phoenix; quo etiam factum videtur, vt naeuos huius phoenicis videre minime poterit.

Haud negligenda est Angli cuiusdam de Pharsalia sententia. Cum nempe *Romius* poema nostrum Anglice redderet <sup>h)</sup>, praefatus est doctissime *Welwoodius*, cuius iudicium de Lucano dignum omnino videtur, quod paucis saltem exponamus. Multa enim Anglus perspicacissimus acute dicta profert, quae vix alibi inuenias. Primum loquitur de Lucani Latinitate, camque non purissimam, ita tamen comparatam esse opinatur, vt inter aevi Neroniani scriptores certe palma Lucano in hac re tribuenda sit. Praetereo ea, quae de Lucani vita ibi disputantur, referoque potius iudicium de Pharsalia; quam *Welwoodius* non ad eas regulas examinandam ducit, quibus carmina Homeri et Virgillii epica expendere solemus, quia Lucanus solam secutus sit historiam, nihilque finxerit \*). Contendit deinde Anglus doctissimus, res gestas magni momenti a poeta ingeniose exornatas maiorem adeo vim ad animum lectoris habere, quam narrationes habeant poeticae fictionibus tantummodo compositae, licet non neget, poetis vere epicis maioribus ingenii viribus opus esse \*\*); Lucanum veram, vt quidem videretur, rerum gestarum seriem sequi voluisse, sed cum genio Romanorum aliquid dandum fuisset, fabulas quasdam eum carmini intexuisse; Lucano in primis animum fuisse, libertatis amorem in Romanis refocillare, detestarique seruitutem;

B 3

h) Titulus libri est: *Lucan Pharsalia. Translated into English Verse, by NICHOLAS ROWE, Esq. Lond. 1718. fol.*

\*) Lucan is not to be try'd by those Rules of an Epick Poem, which the have drawn from the Iliad or Aeneid; for if they allow him not the honour to be on the some foot with Homer or Virgil, they must do him the Iustice at least, as not to try him by Laws founded upon their model; the Pharsalia is properly an historical heroick Poem because the subject is a Known true Story.

\*\*\*) — to my taste, a Fail very extraordinary in its Kind, that is attended with surprizing circumstances, big with the highest Events and conducted with all the Arts of the most consummate Wisdom, does not Stricke the Iest Strong, but leaves a more lasting Impression on my mind, for being true.

tutem \*); res a Pompeio et Caesare gestas maximam partem recte et iucunde a Lucano esse narratas; aliae *περὶ τῶν ἀσείων* minores an vere commemoratae sint, criticorum curis se permittere; arcanas forte fuisse historias, quae Lucano paucisque tantum aliis innouerint \*\*); Lucano, historiam versibus conscribenti, facta, quae narrauerit, fide historica referenda fuisse, licet, non ut historicus, omnes quascunque bello ciuili res gestas referre necessario debuerit \*\*\*). Varia loca minus placent Anglo nostro v. c. descriptiones Galliae et Thessaliae geographicae L. I et VI; tamen vitia haec esse, addit, a carminibus praestantissimis haud aliena; historiam ipsam, quam Lucanus ornauerit, per se magnam esse atque nobilem; argumentumque Pharsaliae superius argumento Aeneidos \*\*\*\*). Inter alia loca, quae *Welwoodius* pro Pharsaliae praestantia praee Aeneide affert, illo male vsus

\*) I am of opinion, that in his first design of writing this Poem of the civil Wars, he resolv'd to treat the subject fairly and plainly, and that Fable and Invention were to have had no Share in the Work: But the force of Custom and the design he had to induce the Generality of Readers to fall in Love with Liberty, and abhor Slavery, the principal design of the Poem, induc'd him to embellish it with some Fables, that without them his Books would not be so universally read: So much was Fable the delight of the Roman People etc.

\*\*) In general, all the Actions that Lucan relates in the Course of his History are true; nor is it any Impeachment of his Veracity, that sometimes he differs in Place, Manner, or Circumstances of Action, from other Writers, any more than it is on Imputation on them, that they differ from him — This I may affirm, the most important Events, and the whole Thread of Action in Lucan are agreeable to the universal Consent of all Authors, that have treated of the civil Wars of Rome. If now, and then he differs from them in lesser Incidents or Circumstances, let the Criticks in History decide the Question etc.

\*\*\*) An historian who like Lucan has chosen to write in Verse, tho' he is oblig'd to have strict regard to Truth in every thing he relates, yet perhaps he is not oblig'd to mention all Facts, as other Historians are. He is not ty'd to relate every minute Passage etc.

\*\*\*\*) But if these be Faults in Lucan, they are such as will be found in the most admir'd Poets — The Story it self is Noble and Great — what a poor subject is that of the Aeneid, when compar'd with this of the Pharsalia? and what a despicable Figure does Agamemnon, Homer's King of Kings, make, when compar'd with Chiefs, who by saying only, *Be thou a King*, made far greater Kings than him?

visus mihi videtur, quo Caesar noctu mari nauigans animo magno et intrepido fuisse dicitur \*). Lucanum igitur, cum Caesarem excelsum et pericula summa spernentem fingat, Virgilio, qui Aeneam suum simili tempestate actum nulla cogente necessitate timidum adcoque lacrymantem repraesentauerit \*\*), praefendum esse, affirmat *Welwoodius*. Mihi vero in omnia alia ire liceat. Aeneas non mortem mihi timere videtur: sed mortem ingloriam, mortem ignobilem admodum meruit, seque aliorum heroum Troianorum gloria et fama forte vndismersum orbarum iri maxime dolet atque indignatur. nam

— *duplices tendens ad sidera palmas,*  
*Talia voce refert: O terque quaterque beati,*  
*Quis ante ora patrum, Troiae sub moenibus altis,*  
*Contigit oppetere! O Danaum fortissime gentis*  
*Tydidè, mense Iliacis occumbere campis*  
*Non potuisse, tuaque animam banc effundere dextra!*

Surgit et prodit aduersarius Lucano infensissimus, omnium paene atrocissimus. Videtis *Petrum Burmannum I*, virum, qui ipse Lucani Pharsaliam commentariis amplissimis doctissimisque instruxit i). Hic fronte truci instat, premit, vrget.

*Ambulat inflatus, diffundit verba superbe,*  
*Atque oculos multa sub grauitate mouet.*

Non solum enim ille in annotationibus suis in Pharsaliam Lucanum irridet conuiciisque obruit acerbissimis, sed in praefatione copiosissima Pharsaliae praefixa praecipue bonum poetam aggressus est infestissimis, lacessiuit, ferit penitusque confodere studuit. *Θεσπεσιόν τι χεῖμα φῆς*, inquitis. Cur igitur tantam operam, tantam diligentiam perdidit *Burmannus* in poeta pessimo? clamare vos audio. Recte vero, et ego miratus sum vehementer: sed exemit nobis ipse hanc admirationem. nam sub fine praefationis: *Fateor*, inquit, *amice Lector*, *me ab ipsa adolescentia saepe dubitasse, an mereretur Lucanus tam operosum et sollicitum commentatorem,*  
 vt

\*) vid. Pharf. L. V. vf. 560 sqq.

\*\*) vid. Aen. L. I. vf. 81 sqq.

i) *Leidae MDCCXXX. 4.*

vt nunc me euasisse praeter omnem expectationem video — sed quum per otium subinde (carmen) euoluerem, et quasdam etiam ingenii et doctrinae dotes, quas alii nimis magnifice extulerunt, agrosccere cogerer (et vos, lectores, agnoscere peccus Burmanni frigidum, cui senectus forte sensus calentes abstulerat!) natas mihi deprehendebam quasdam obseruationes, quas non inutiles tironibus et poeticis deliciis operantibus credebam. Praeterea ex subsidiis, quae et Heinfiana serinia, et codices ab aliis collati suppeditabant, aliorum coniecturas excutiendi, easque confirmandi, si verae apparent, vel refutandi, si temerariae essent, voluntati resistere me non potuisse fateor; et iuuentuti etiam veram viam Poetae legendi et intelligendi, pro meo capite, monstrare non alienum a professione mea censebam k). Videte et iudicate!

De ipsis Burmanni accusationibus, age, nunc videamus; atque, quantum quidem poterimus, diiudicemus, quae recte ab eo dicta sint, quae minus. Ante omnia monendum viderur, Burmannum paullo iniquiorem in censura sua se gessisse, quippe qui vitia tantummodo Pharsaliae arguat, virtutes obliteret. Vbiq; fere Nostrum appellat *declamatores ineptum, insanum, puerilem, nugacem, adulandi artificem, hominem deprauati iudicii et ingenii nugacis* cet. Primum autem cum iis Burmannus facit, qui Lucanum e poetarum choro esse eiiciendum et ad historicorum turbam ablegandum censent, licet ipse assermet, Lucanum, vt historicum, peccasse ob audacissimas translationes et figuras, ob declamatorium factum et affectationem putidam, ob tumorem et supra naturam exaggerationes, ob impudentissimam congeriem et cumulationem incredibilium. Quid igitur inde sequitur? Lucanum nec poetam esse, nec historicum. quid vero? nihil, plane nihil. Ridete lectores, et plaudite! Nos autem, vbi Lucanum esse *poetam historicum* ostendemus, diluamus pro viribus hanc criminationem; expendamus etiam ibi alteram accusationem Burmanni aliorumque, qui dicant, Lucanum regulas carminis epici neglexisse. Multa deinceps narrat Burmannus de optima Aeneidos forma, quae profecto non tanti sunt, vt tam copiose et fufe exponantur. Lucanum imperitum fuisse Geographum iis ex rationibus facile concedere possumus, quibus Scaligero veniam, Nostrum ex Astronomorum classe eiiciendi, lubenter dedimus.

Bar-

k) vid. Praef. \*\*\*\*\*.



Barthio deinde se adiungit Burmannus, grauiter indignatus Palmerio, Lucanum Virgilio esse parem affirmanti. *Quis enim, interrogat, humanioris disciplinae et poeticae facultatis non penitus rudis, risum continere potest, ubi legerit, Lucanum Virgilio, si non superiorem, certe parem probari?* Nos vero lubenter hac in re simus rudes, nos risum contineamus, serioque affirmemus, Lucanum certis ex rationibus ingenio fuisse superiorem Virgilio. Addit Barauus sat impudenter, Palmerium deprauati iudicii notas edidisse, ubi de ipso Lucani poemate et eius cum Marone comparatione agere coepisset, et hinc tironibus etiam ludibrio semper esse futurum. In eo autem sententiae Burmanni lubenter subscribimus, Palmerium sibi non constare sibi que ipsum contradixisse, licet conuiciis absteineamus, nec Palmerium cum Burmano appellemus *insania actum*. Omnes tandem alios Lucani fautores, *Mofantum Briosum, Maresum, Lipsium, Montagnum*, irrisos et, ut sibi forte persuaserat, bene depexos a se dimittit.

Nunc vero per partes, ut aiunt, ire incipit Burmannus, litemque Lucano intendit acriorem. Tremere, o bone, aduersarius imminet horrendus, de capite, de salute tua agetur! Primum accusaris, te nimis studiosum fuisse partium Pompeianarum, et quum ipse *commune nefas* l) in vtraque parte agnoscas, causam tamen Caesaris, quam ipse *Dius placuisse* m) dicas, *scelus* vocare. Quomodo te defendam? quibus armis Barauum abs te arceam? Valde et quam maxime timeo, ne, si vbi que latum tam apertum praeberis, plane de te actum sit. Ipse enim aduersario tuo concedam necesse est, te nihil de Pompeii immoderata ambitione et superbia, nihil de omnibus, quae Caesar ante tentauit ad pacem et concordiam seruandam, nihil de reiectis insolentissime a Pompeianis conditionibus, quas ferebat Caesar, nihil de Sceto, quo Caesar a factione contraria hostis erat iudicatus, et prouinciis et exercitu priuatus, vnde nihil relictum sibi videbar, quam armis tueri dignitatem suam, nihil igitur de his omnibus commemorasse n). Ipse *Marmontelus* tuus reum te fecit huius criminis o). Equidem laudo animi tui magnitudinem, tyrannidem maxime detestantem libertatisque cupidissimam; hunc animum decla-

l) vid. Pharf. l. 6. m) vid. l. 128.

n) vid. Burmanni Praef. \*\* \*\*.

o) vid. Praef. Marmontelii ad versionem Pharsaliae Francogall. p. XVII et LXXVIII.

declarare potuisti in carmine tuo; historiam si conscripisses, hic libertatis amor, hic ἐλευθερίας τὸς tibi plane abiiciendus ac deprimendus fuisset. Historiam belli istius civilis si Burmannus eiusque affleclae cognoscere velint, adeant Suetonium, adeant Dionem, adeant Plutarchum, adeant Caesarem, adeant alios historicos. Nos vero, Annae, legamus carminis tui loca pulchriora animi et oblectationis, minime autem chronologiae aut criticae causâ!

Pergit Barauus noster: *Praeterea, omnes Epici Poetae vel ante, vel post propositionem, vel miscentes utrumque, nomen aliquod inuocare ex lege carminis solent, a quo doceri et inspirari precantur — sed Lucanus conscius sibi, se in utramque partem peccare, et argumentum elegisse, in quo nullas Diis partes attribuere, et ita nec Poetae personam sustinere possêt; et etiam veritati vim intulisse, et factio- nis inconsulto studio et fauore ablatus, Deos inuocare et mendacis suis inscribere non sustinuit; sed oblitus se promississe Poetam acturum — properat se declamatorem et Philosophum ineptum exhibere. Iniquis- sima vero accusatio*

*telumque imbelles sine ictu!*

Non quaeramus hoc loco; an Lucanus epicum scripserit carmen, an inuocato poetae epico adeo necessaria sit: sed, Lucanum inuocationem reuera proposuisse, ostendamus. et, quia hic occasio se offert commoda, sententiam meam de loco isto declarandi, semel mentem hic aperiam, ne eadem saepius repetere opus sit.

Postquam Lucanus canere promiserat

*Bella per Emathios plus quam civilia campos etc.*  
Romanos suos sat acriter et acerbè alloquitur:

*Quis furor, o ciues? quae tanta licentia ferri  
Gentibus inuisis Latium praebere cruorem?*

aculeos ad pungendum et stimulandum apertissimos animis eorum iniicit:

*Heu! quantum potuit terrae pelagique parari  
Hoc, quem ciues hauserunt, sanguine, dextrae!*

Acerbissima deinceps ἐπιτίμησις perit Neronem, tyrannum crudelissimum. Optimo fato dicit Neronem imperium adeptum fuisse;  
*Iam nihil, o superi, querimus: scelera ipsa, nefasque*

*Hac*

Hac mercede placent; — —

falsissime pergit:

Multum Roma tamen debet ciuilibus armis,

Quod tibi res acta est. — —

Neronem his dictis viuum diis sat petulanter annumerat; sedem, optime quae placeat, sibi inter sidera eligat, hortatur;

— — seu sceptrum tenere,

Seu te flammigeros Phoebi conscendere currus,

Telluremque, nihil mutato sole timentem;

Ignem vago lustrare iuuat; tibi numine ab omni

Cedetur: inuisque tui natura relinquet,

Quis deus esse velis; ubi regnum ponere mundi.

Haec satis iam ad risum excitandum exaggerata, satyricè admodum aliis appositis acerbiora reddit. Inde exclamat:

Sed mihi iam numen! — —

Burmännus alique haec sine exclamationis significatione accipiunt: Lucanum potius dicere voluisse existimant, sed mihi iam deus es, o Nero, aliis demum post Apotheosin futurus, mihi iam praesens deus. Sed sequenti opinionem nostram satis, credo, confirmant. Pergit enim Lucanus:

— — nec, si te pectore vates

Accipiam, Cirrhaea velim secreta mouentem

Sollicitare deum, Bacchumque auertere Nyssa.

Tu satis ad dandas Romana in carmina vires.

Aut omnia me fallunt, aut Lucani mens haec erit: Venio ad rem ipsam; numine mihi opus est; quali vero? Apollo et Bacchus quiescant; tu, Nero, quem ipse iam deum feci et consecraui (aut potius, qui ipse te viuum iam diis adscripsisti), satis es, ad bellum ciuile digne canendum, quia furor et tyrannis tua ita spiritum meum incitabunt, vt furorem, iniquitatem et tyrannidem Caesaris, libertatis oppressoris, coloribus sat viuidis pingere possim.

Paullo copiosius nempe exponenda erat sententia Lucani, quia omnes, quos vidi, interpretes, Burmannus in primis, longe aliter haec explicant. Adulatorem enim turpissimum hic agere Lucanum contendit criticus noster, ideoque eum appellat *adulandi artificem, ingeniosum adulatorem, turpe aulae mancipium, adulantem Neroni immanem in modum* p). Diu multumque cogitavi, quid tandem Burmannum

C 2

p) vid. p. 8 et 9.

num in hanc sententiam rapere potuerit: sed nullam animaduerti aliam causam, ac libidinem, quouis modo poetam nostrum carpendi et laceffendi. Quis vero credat, Lucanum, familiae Caesareae inimicum, a qua oriundus erat Nero, atrocissimum, virumque libertatis priscae appetentissimum, tam abiecto et turpi animo fuisse, vt serio ista de Nerone caneret? At, quid multa? Quomodo, amabo, Lucanus ille, qui coniurationem contra Neronem iniit, adeoque inter principes coniuratorum fuit q), tyranno facillimo tam feruenter muliebriterue blandiri adularique potuisset?

De *Marmontelio* nonnulla hic addam. Valde quidem miratus sum, virum cel. hunc locum a versu XXX vsque ad LXVI in versione sua Francogallica omisisse; in praefatione quidem praedixit, se loca minus venusta non translaturum, certe illa esse mutaturum, quod quidem pessimo consilio fecit: sed cur hunc locum pulchritudine profecto non destitutum praeterierit, plane diuinare nequeo. At multo magis mirari liceat, illum etiam inuocationem in Pharsalia non agnoscere. Lucanum enim putat non inuocasse deum quemdam, sed subito eum transgredi ad ipsam rerum gestarum narrationem r). Nam Lucanica inuocatio etsi non sit Homericæ, etsi Musas vel Apollinem ipsum non inuocauerit; tamen est inuocatio, quae liberum eius ingenium vnice decet.

Redeo ad Burmannum. In eo vero non morabor, quod Lucanum ob longam et minus accuratam populorum et militum, ex quibus Caesar exercitum suum conscripsit, enumerationem s) reprehendit. Non solum enim in Lucano, verum etiam in Homero, Virgilio, aliisque poetis valde displicent catalogi isti longa et molesta vocabulorum horridorum serie consarcinati, licet historiam et geographiam aliqua ex parte inde illustrari posse, non negem.

*Lucanus*, pergit Burmannus, plus quam senili garrulitate, quasi augur et baruspex omnibus collegiis doctior et vanissimæ artis peritissimus esset, tot prodigia, ostenta et omnia cumulat, quae pronunciarunt Caesaris aduentum in Urbem, quot vix ab ipsa origine Romæ acci-

q) vid. Taciti annales L. XV. cap. 49. 56. 70. et vita Lucani a Suetonio, vt vulgo creditur, conscripra.

r) Lucain qui ne devoit être trop instruit des malheurs de sa patrie, au lieu d'invoquer un dieu pour l'inspirer, se transporte tout-à-coup au tems où s'alluma la guerre civile. *Poétique Française T. II. p. 264.*

s) vid. L. I. vf. 392 sq.

accidisse verisimile est, et illa omnia vno die edita fingit t). Fateor quidem, Lucanum vehementer peccaturum fuisse, si hodie, terribulis istis feliciter proscripris, haec canere voluisset: sed Romanis suis haec valde arrisisset, iis probabile erit, qui, quantum illi superstitioni dediti fuerint, eorum monumentis edocti norunt. Praeterea alia huius generis a Burmanno atro lapillo notata. Excusari porro illa posse puto, vbi Lucanus senem quendam Urbis infortunium longa oratione deplorantem inducit u). Quae Burmannus quidem hanc ob causam reiicit, quia non sit credibile, quenquam praecipiti ista ab Urbe fuga tam longas instituisse querelas. Optime! Lucanum vero existimo, cum statum Romae infelicem describere veller, maiorem vim huic descriptioni conciliari posse sibi persuasisse, si a Romano quodam, eoque senes, qui florente republica vixerit, haec dicerentur. Ex sententia Lucani procul dubio haec vox totius populi Romani esse debebat. In minorem forte reprehensionem incurrisset, si Romanam, tanquam personam, haec querentem, finxisset. Quamuis etiam huic orationi insint, quae maxime placeant, tamen alia nonnulla nimis exuberantia recidi potuisse, largior. Sed de similibus his aliisque locis parte huius disputationis altera agemus. Verendum enim est, ne, si singulas Burmanni accusationes persequamur, nimium mihi crescat materies. Hoc vnum addere liceat, quod et de aliis criticis dictum sit, Burmannum plerumque nimis diligentem in excitandis Pharsaliae vitis se praebuisse, omniaque ad vitium, ut aiunt, rescuisse, quo fieri non potuit, quin innumerabiles paene errores, naevi et peccata oculis eius sese offerrent. Quis vero, eadem via in optimis adeo poetis facillime per multa detegi posse vitia, lubenter nobiscum non confiteatur?

Audianus iudicem aequiorem mitioremque, *Volterranum*, virum, cuius gloria ob ingenii diuini monumenta praestantissima integerrimaque nunquam erit intermoritura. Postquam enim in recensu poetarum epicorum nobilissimorum sententiam de Homero et Virgilio tulerat, de Lucano sic iudicat, ut, eum non esse imitatorum gregi annumerandum, sed solo suo ingenio fretum nouam viam audacia felici ingressum esse contendat x). Cum Burmanno aliisque

C 3.

con-

t) vid. L. I. vf. 523-584.

u) vid. L. II. vf. 67-232.

x) Après avoir levé nos yeux vers Homère et Virgile, il est inutile de les arrêter sur leurs copistes. Je passerai sous silence Staius, et Silius Itali-

conspirans Vir illustis, Lucanum adulatorem fuisse Neronis, carmenque epicum scripsisse existimat. *Varium*, pergit, Virgili amicum et aemulum, iam ex historia recentiore argumentum carminis epici fuisse; Lucanum ob belli ciuilis proxime gesti memoriam nil inuenire potuisse fabulosi; maiestatem heroum non fictorum veram natura duce recte pingere, arduum fuisse opus; Pharsaliam aridam esse et siccam, quia Lucanus ab historiae veritate recedere non ausus fuerit; inuentionis inopiam eum compensare voluisse sententiarum magnitudine; esse eundem tumidum; nullas inesse Pharsaliae splendas descriptiones, vt Iliadi; Lucanum nec elegantiam nec numeros Virgili esse assecutum; alias vero in Pharsalia virtutes inueniri, nec in Iliade, nec in Aeneide obuias; sententias ibi conspici audaces et grandes; orationes eius nonnunquam Liuii maiestate Tacitique grauitate superbire. Iudicio tandem suo Voltarius his verbis finem imponit: *Ce n'est donc point pour n'auoir pas fait usage du ministère des dieux, mais pour auoir ignoré l'art de bien conduire les affaires des hommes, que Lucain est si inférieur à Virgile. Faut-il qu'après auoir peint César, Pompée, Caton avec des traits si forts, il soit si faible, quand il les fait agir? Ce n'est presque plus qu'une gazette pleine de déclamations; il me semble, que je vois un portique hardi et immense, qui me conduit à des ruines y).*

In principibus Lucani laudatoribus et defensoribus facile eminet *Marmontelius*, qui saeculo nostro in manium Lucanicorum gratiam saecularia quasi celebranda instituit, qui, cum Pharsalia per longum sat tempus paene negligenter et contenta iaceret, eam sic erexit laudibusque ornauit, vt non in Francogallia solum, sed et in aliis regionibus, vbi Musarum munera non respuuntur penitus, amorem carminis olim nobilissimi pristinum restitueret cupidioresque illud perlustrandum redderet litterarum mansuetiorum cultores. Haud vana loquor, si contendam, Virum Cel. inde a iuuentute

Italicus, l'un faible, l'autre monstrueux imitateur de l'Iliade et de l'Énéide; mais il ne faut omettre Lucain, dont le génie original a ouvert une route nouvelle. Il n'a rien imité, il ne doit à personne ni ses beautés, ni ses défauts, et mérite par là seul une attention particulière. vid. *Oeuvres de Mr. de Voltaire* T. I. p. 274. ed. Dresd. 1752.

y) vid. p. 278. l. 1.

tute sua familiaritatem cum Pharsaliae scriptore iniisse intimam; in scriptis eius certe vbiq; huius amici sui amor et fauor non obscure elucet, licet non adeo indulgens sit, vt vitia et naevi familiaris eum decipiant, aut etiam ipsa haec delectent

— *veluti Balbinum polypus Hagnae.*

In ista enim praefatione, quam praefixit carmini, quo Voltarius celebrat Henrici VIII laudes, disputauit iam nonnulla de Lucano 2). Comparatur nimirum in isto loco a Viro cel. carmen Voltarii cum Pharsalia, et ostenditur, poema Voltarianum similius esse Aeneidi, quam Pharsaliae, qua ex disputatione satis iam perspicitur, quam sententiam ille tunc temporis de Lucano foverit. Fusius et ornatius deinde iudicium suum de Pharsalia exposuit in epistola illa, quae, certamine ingeniorum ab Academia Francica instituto, praemio proposito donata est; quam ipsam inspiciendi et perlegendi facultatem mihi non fuisse, etiam atque etiam doleo. Eodem fere tempore consilium, Pharsaliam Francogallice reddendi, Marmontelium cepisse, inde verisimile fit, quod ille, variis speciminibus propositis a), sententias et iudicia virorum doctorum elicere et audire studuit. Operi deinceps edito maxime egregio, Poeticae Francogallicae (*Poétique Française*), multas adpersit obseruationes Lucani carmen illustrantes. Anno tandem praeterito prodiit interpretatio totius Pharsaliae Francogallica b), cui auctor illustris praeposuit praefationem, in qua sententiam suam olim de Pharsalia latam repetit, ornat atque defendit. His omnibus perlectis breuiter hic ponamus summam eorum, quae Marmontelius de Pharsaliae praestantia et vitiiis passim disseruit.

Liberius sane et facilius de Lucani Pharsalia agere potuisset Marmontelius, nisi communem istam et vulgarem opinionem, qua carmen epicum illa credi solet, sequi voluisset. Inde multae illi ambae-

2) vid. Oeuvres de Mr. de Voltaire T. I.

a) vid. Mercure de France, Avril 1761. Journal des Savans 1764. Janvier N. r. p. 180-199. Février N. 2. p. 469-484. Mars N. 3. p. 145-164. Avril N. 4. p. 411-431. ed. Amsterd.

b) Inscriptio libri haec est: *La Pharsale de Lucain, traduite en François par M. MARMONTEL, de l'Académie Française.* à Paris 1766. T. II. octonis. c. figg. aen.

ambages, multae artes, quibus sese tueri posset, anxie saepe enixaque opera erant indagandae atque petendae. Inde disputationes istae, quibus, carmen epicum haud necessario indigere deorum ministeriis, asserere conatus est c). Cuius sententiae veritatem equidem impugnare nolo: sed in Lucani defensione hoc labore facile, opinor, supersedere possumus. Quapropter etiam taceo alia, quae hanc in rem dicta sunt a viro elegantissimo, v. c. ordinem carmini epico proprium neglexisse Lucanum, nullisque artibus eum esse usum, quibus alii poetae epici tam suaviter lectores fallant atque circumuehant d). Cedo igitur, inquitis, nobis alia Marmontelii de Pharsalia iudicia! Optime, statim mandatis obsequar.

Lucanus anxie secutus est historiam, inuentoremque nusquam fere sese praestitit e). Quia Lucanus ob fati iniquitatem carmen suum emendare et limare non poterat, varietate inaequabili distincta apparere eius Pharsalia, et si assurgit, saepe turnorem praese ferre solet f). Sectatur haud raro et captat Noster minutias, quibus cum immoratur, languidus fit neruosque sibi praecidit g). Lucanus plerumque heroum suorum mores felicissime delineauit et expressit h). Orationes, quas finxit, admiratione et laude sunt dignissimae i). Permultae quidem Pharsaliae insunt Veneres, sed deest perfectio; primas tantum lineas operis duxit Lucanus k). Manu audaci pinxit heroes suos Annaeus, coloribusque vitur viuidis ab Homero et Virgilio non adhibitis \*). Praestantia Lucani non in eo cernitur, quod ille bella, tempestates, incendia, descripsit: sed, quod res gestas viuidissime depinxit oculisque lectorum, tanquam praesentes, subiecit; non magni est ingenui, vxorem Horrentii ad Car-

c) vid. Poetique françoise T. II. p. 286.

d) vid. Praef. ad Pharsaliae versionem p. VI sq.

e) vid. Praef. ad Voltarii Henriad. et Praef. ad vers. Pharsal. p. VII.

f) vid. ibid.

g) vid. Praef. ad vers. p. VI.

h) vid. ibid. p. VIII. et Poet. franc. T. II. p. 287.

i) vid. Poet. T. II. p. 287.

k) vid. Poet. T. II. p. 288. Praef. p. III sq.

\*) Lucain a peint ses héros avec des grands traits, il est vrai, et il a des coups de pinceau dont on trouve peu d'exemples dans Virgile et dans Homère. vid. Praef. ad Voltar. Henr.



Catonem, maritum pristinum, reuertentem fingere 1): sed summam artem, qua hoc factum esse narrat poeta, admiremur necesse est, eumque amemus ob colores varios felicissime dispersos m). Poësis Lucani audax est atque imperiosa n). Si tolleres ex Pharsalia hyperbolas, si recideres nimis longas narrationes orationesque, videres Veneres summis ingeniis haud indignas, videres versus maxime sublimes, videres picturas viuidissimas, paruis forte maculis contaminatas, orationes singulari quadam pulchritudine exsplendescentes, sententiasque grauissimas o). Quod quidem Marmontelius efficere studuit versione sua Francogallica, in qua nihil fere, quod Lucani ingenio indignum sit, animaduertas: adeo mutauit, emendauit, rescuit vir cel. quae ipsi se non probarent. Ex hac igitur versione nemo de totius operis ambitu et *circumscriptis* iudicare recte poterit; dum enim Marmontelius pro ingenio et arbitrio suo Lucani vitia mitigare, corrigere, delere atque tollere ausus est, multa simul subuertit et eripuit nobis loca pulchritudine, vi et elegantia plane admirabili superbientia.

Concurrite nunc et adeste, quotquot viuitis, Latinorum et Graecorum auctorum aestimatores et vindices, viri litterati et philologi, emergite vos ab inferis, Casauboni, Salmasii, Gronouii, Graeuii, Dacierii, et omnis interpretum ordo, et a *Delaharpio*, politissimo omnique elegantia exculto homine, dictata excipite regia, et discite noua planeque inaudita! Sentio, hunc hominem cognoscendi vos esse cupidissimos. Ex Francogallia ille oriundus scripsit praeter paucula alia libellum p), in quo versiculos quosdam effudit non contemnendos aptosque ad otium fallendum. His adiunxit: *Observationes in Lucanum* q). Marmontelium, longe sibi superiorem, forte inuidia ductus, impugnare studet Delaharpus, quibusnam armis? feralibus, si dls placet, et funestis. Certe, quae bona habet, mutuatus est a Burmanno, aliisque; centies enim, cre-  
dite

1) vid. Pharf. L. II. v. 326 sqq.

m) vid. Poet. T. I. p. 325.

n) vid. ibid. T. II. p. 69.

o) vid. Poet. T. II. p. 288. Praef. p. VIII.

p) Titulus libelli est: *Mélanges littéraires, ou épîtres et pièces philosophiques,* par Mr. de la Harpe. à Paris MDCCLXV. 12.

q) *Reflexions sur Lucain* p. 105-125.

dite mihi, ante Galluli huius tempora, multo etiam melius et doctius dicta sunt, quae in libello eius leguntur. Audite mirabile hominis acumen! *Lucanus paene ignotus est multis adeoque eruditissimis certe, qui eum nouerint, semel tantum carmen eius legisse sunt putandi* r). Credo equidem. Largior, Gallum nostrum nihil de Lucano audiuisse, vsque dum Marmontelius eum in Francogallia quasi e mortuis excirauerit: sed qua ratione de omnibus eruditissimis id affirmare potest? Concedamus et hoc: sed quaeramus simul: an opiniones praeiudicatae impedire potuerint, quo minus Lucani carmen a paucis tantum lectum fuerit? A multis vero lectum fuisse, inde apparet, quod in omnium fere doctorum hominum libris, ubi occasio de Pharsalia loquendi data fuerit, de Lucano disputatum est; quod et confirmat codicum manu scriptorum atque editionum typis expressarum multitudo. Ex paucitate versionum Francogallicarum s) plane nil sequitur. Causas deinceps indagare studeat, cur Lucanus non magni vnquam habitus sit. Cedo istas! quia lectio Pharsaliae est intolerabilis, quia nec inuentio, nec ingenium, nec utilitas in ea cernitur t). Quae iam a multis aliis dicta quam vera aut falsa sint, alibi perscrutari animus est. Declamat post haec Delaharpus contra Marmontelium adiecto loco, quem dicunt, communi. Versus Marmontelii, qui in primis pungunt et male habent Delaharpium, tam pulchri sunt, ut non possim, quin eos apponam.

*Le seul Lucain, cherchant une autre gloire,  
Sans le secours des Enfers et des Cieux,  
D'un feu divin sait animer l'Histoire,  
Et son génie en fait le merveilleux.  
Il est un vrai que l'artifice énerve,  
Ce vrai l'inspire et lui donne le ton.  
Qu'a-t-il besoin de Mars et de Minerve?*

II

- r) Lucain est presque inconnu, même à beaucoup de Littérateurs; ou du moins ceux qui le connoissent ne l'ont lu qu'une fois. p. 105.  
s) Nos Traducteurs les plus déterminés n'ont osé entreprendre de faire passer son Ouvrage dans notre Langue etc.  
t) Pourquoi ne lit-on point Lucain, si Lucain est un bon Auteur? — La véritable raison — c'est que la lecture en est insupportable, c'est qu'il est également dénué d'invention, de goût et d'intérêt. p. 106.

*Il a César et Pompée et Caton.*

— — — — —  
 — — — — —  
*Donne à Lucain ton style harmonieux,  
 Ou prends de lui son audace intrepide,  
 O toi, d'Homere émule trop timide.*

Alia deinde affert Delaharpus a multis quoque maiore cum vi prolata, v. c. Lucanum morari in rebus parui momenti; indulgere eum ingenio suo; semper iisdem coloribus illum esse usum etc. Maxima denique accusationis pars latet in versione et reprehensione loci nobilissimi Lib. V, ubi tempestas describitur, qua Caesar solus cum nauta traiecit mare Adriaticum. Quibus expositis exclamat: *Telle est marche de Lucain!* et deinde repetit omnia, quae ante iam dixerat, verbis tantum mutatis. Equidem paene nunc ob temporis iacturam doleo, me tamdiu moratum fuisse in scriptore, qui loquacitatis garrulitatisque est plenissimus, doctrinae verae plane expertus. Verum enim vero audiendus etiam erat quidam ex hoc iudicum genere.

Legi quoque eiusdem Delaharpii epistolam versibus conscriptam <sup>u)</sup>, quae ab Academia Francica certaminis praemio decorata est; quam cum perlegerem, non satis mirari potui, nescio, liberalitatem, an corruptum hac aetate elegantiarum sensum istius Academiae Parisinae. Quis enim non indignetur, si comperiat, carmen, cui praeter versus aliquot felices nihil, nisi res tritae quotidianaeque insunt, praemio lauto esse affectum? Valde igitur ignominiose etiam de Lucano sic canit in carmine isto poeta noster laureatus:

*Orner la vérité, c'est l'emploi du génie,  
 Mais qu'on ait vu Lucain, flattant la tyrannie,  
 Esclave dans sa mort, esclave dans ses vers,  
 Placer au Ciel Néron qu'a flétri l'Univers,  
 Voilà l'excès honteux dont la vertu murmure.  
 Nul talent n'a le droit d'ennoblir l'imposture.*

Sed, sic est: plurimi ex feroculis istis Gallulis, omnis elegantiae cultique nitoris, ut iactant, magistris, incredibilem animorum et mentis

D 2

tis

<sup>u)</sup> LE POÈTE, Epître qui a remporté le Prix de l'Académie Française en 1766. par M. de la Harpe.

ris omnium rerum capacis et ingeniorum celeritatem ita a benigno numine sibi infusam et ingeneratam esse opinantur, ut, se in cunis iam sapere, aliis persuadere allaborent.

Pergamne recensere aliorum de Lucani Pharsalia iudicia, opinioniones, commenta? Pergamne laudare hunc, vituperare illum? non faciam. *digito comescam labellum*. Maxime enim, si hac ratione omnium, qui vnquam de carmine isto scripsere, sententias commemorare et diiudicare vellem, maxime, inquam, mihi verendum esset, ne vobis, o iudices grauissimi, volumen vastae magnitudinis humerisque meis impar, offerrem; verendum mihi esset, ne Scaligeri iudicio accedatis, idemque, quod ille de Lucano, de me vere et recte pronuncietis, me esse rædii patrem. Itaque non amplius abutar patientia vestra. Quid enim attinet, longam scriptorum pompam augere atque extendere? principes Lucani laudatores et reprehensores produxi fere omnes. Alii hos, illos alii, maximam partem, veluti discipuli, in praeceptorum verba fideliter iurantes, secuti sunt. Vnum mihi detis velim. Delaharpus, ut vidistis, audacter satis contendit, doctorum virorum, qui vnquam Pharsaliam legerint, numerum esse perparuum. Ut igitur Hercules ille, aut potius eius affectae (nam ipse Delaharpus nunquam videbit has plagulas, et, si videret, pro elegancia sua ringeretur lepideque verficulis suis me iuuenem et Magistrum Academiae Theoriscae exagitarer) intelligant, permultos alios non solum legisse Pharsaliam, sed et iudicia de ea tulisse, breuiter quosdam tantummodo ex illis laudabo, alios forte additurus, cum ipsam sententiam meam exposuero. Adeant igitur illi et consulant *Rapinum* y), *Hanckium* x), *Furnabium* y), *S. Evremontium* z), *Rubenium* a), *Barthium* b), *Peletierium* c),  
Mare-

y) vid. eius *Comparaison d'Homere et Virgile* chap. 10. p. 131. ch. 11. p. 133. et eiusd. *Reflexions sur la Poetique* P. II. refl. 1. 8. 15. edit. Amst. 1697.

x) de scriptoribus rerum Romanarum P. I. cap. 11. p. 78 199. P. II. in add. p. 246 199.

y) in Praef. edit. Lucan. praefixa.

z) vid. Oeuvres de Mr. de S. Evremont T. III. p. 58. 74 19.

a) in Electis cap. 2.

b) in Aduers. L. XXIII. p. 1169 19. L. LIII. p. 2487 199.

c) vid. *Peletier du Mans* Art. poet. L. I. c. 5.

Maresium d), Brietium e), Dubamelium f), Thomassinum g),  
 Godaeum h), G. I. Voffium i), Beroaldum k), Dan. Heinsium l),  
 Gywaldum m), Nicolium n), Mascardum o), Palmerium p), Mon-  
 tagnium q), Turnebum r), Wichmannsbauſenium s), Mich. Mait-  
 tairium t), Insulanum u), Ios. Scaligerum x), Lud. Vivem y), Bor-  
 ricbium z), Stradam a), Bersmannum b), Breboeufum c), Boubour-  
 ſium d), Trubletium e), Homium f), Schlegelium g) etc. etc.

Videtis fat frequentem Pharfaliae aestimatorum turbam; maio-  
 rem facili negotio congregare possem, ni tempus et voluntas pro-  
 hibere. Omnes vero vel laudant, vel vituperant, vel simul lau-  
 dant et vituperant Pharfaliae scriptorem. Quae igitur causa tanta-

D 3

rum

- d) vid. eius epist. p. 26 sqq. et 309.  
 e) de poetis latin. p. 34 sq.  
 f) vid. eius *Dissertation sur les Poésies de M. de Breboeuf* p. 14 sqq.  
 g) vid. eius *Méthode d'étudier chrétiennement les poètes* L. I. c. 5. n. 9. edit.  
 Paris. 1681.  
 h) vid. eius *Histoire de l'Eglise* T. I. p. 239. edit. Paris. 1672.  
 i) de Historicis latin. L. I. c. 28. p. 137 sqq. cf. eiusd. *Institt. poet.* L. III.  
 p. 108.  
 k) in oratione ad praelect. Lucan.  
 l) de laude asini p. 86 sqq.  
 m) de hist. poet. antiq. dial. IIII.  
 n) vid. eius *Traité de l'Education du Prince* P. II. p. 63.  
 o) de probat. concl. p. 287.  
 p) vid. eius *Kortvau Enigeignuz* pro Lucano contra Virgilium, e scriniis Iani  
 Berkelii.  
 q) vid. eius *Essais* II, 10.  
 r) in *Adversf.* L. LXXI. c. 18.  
 s) vid. eius *Diatribes* in Lucani Pharfaliam. Vitemb. 1712. 4.  
 t) vid. eius edit. Pharfaliae. Lond. 1719. 12.  
 u) vid. eius *mathematica* pro Lucano *Apologia* aduersus Ioseph. Scaligerum  
 carmine scripta. Paris. 1582. 4.  
 x) in epist. eius opusculis (Francof. 1612. 8.) subiunctis p. 221 sqq.  
 y) de tradendis disciplinis L. III.  
 z) de poetis p. 58.  
 a) in proluss. acad. p. 44.  
 b) in praef. ad Pharfal. ed. Lips. 1589. 8.  
 c) in *Dedicacione* versionis Pharf. Hag. Comit. 1683.  
 d) vid. *Pensées ingénieuses des anciens et des modernes* p. 80.  
 e) vid. eius *Essai sur la poésie et sur les poètes* f. XXI.  
 f) vid. eius *Elements of Criticism* c. XXII.  
 g) in *den Abhandlungen zum Bartheus* p. 428 sq. ed. Lips. 1759.

rum litium? quis genitus, nescio malus, an bonus, tot inter viros eruditione et fama clarissimos inde a Pharsaliae origine tantas excitauit turbas, eosque plane sibi inuicem repugnantes reddidit? Operis *ἀνομιάν*, virtutes vbiq̄ue mixtas vitiis, fontem omnium malorum istorum esse censeo. In qua vero caussa maxime mirari liceat, alios nunquam plane Pharsaliae pulchritudine captos fuisse, alios omnia bona, egregia, praeclara credidisse: laudare contra eos, qui mediam terere viam laudabili studio coeperunt. Bella etiam ista maximam partem inde orta esse existimo, quod opinio peruulgata viris persuaserat doctis, Pharsalam esse carmen epicum. Sed de his aliisque mox copiosius disputabimus.

Quid ipse Lucanus de se?

*O sacer, et magnus vatum labor, omnia fato  
Eripis, et populis donas mortalibus aeuum.  
Invidia sacrae, Caesar, ne tangere famae:  
Nam si quid Latius fas est promittere Musis,  
Quantum Smyrnaei durabunt vatis honores,  
Venturi me, teque legent: Pharsalia nostra  
Viuet, et a nullo tenebris damnabitur aeuo h).*

Audistisne sacram poetae vaticinantis vocem? Quor, quaeſo, oraculum hoc legentes, erunt, qui eadem confidentia, eadem immortalitatis spe, eadem veritatis vi ac potentia haec proloqui litterisque consignare audeant? *Atque profecto magnum est aliquid*, inquit vir eiusmodi oraculi, si quis vnquam, capacissimus i), *omnem posteritatem suorum operum admiratorem videre, sibiq̄ue ipsam immortalitatem nominis et perpetuam gloriam spondere. Tales cogitationes nisi a magnis hominibus concipiuntur, et qui earum capaces sunt, non possunt non praeclara opera et excellentia proferre.*

b) vid. Pharf. VIII. vs. 980 sqq.

i) Perill. Klotzius in Opusc. varii arg. p. 148, vbi et p. 149 sq. exempla aliorum poetarum inuenies.

C O R R I G E N D A.

P. 3. l. II. lege: labore. P. 12. l. 16. leg. quid sit. P. 15. l. 12. leg. quaterque.







Halle, Diss., 1766-67

ULB Halle

002 057 565

3



54

Retro ✓







DE  
LVCANI PHARSALIA  
DISPV TATIO

1767/18

QVAM  
EX AVCTORITATE ORDINIS PHILOSOPHICI AMPLISSIMI  
A. D. XXIII. APRILIS MDCCCLXVII.

DEFENDENT  
IOH. GEORG. MEVSEL  
ART. MAGISTER ET INSTITVTI REGII DISCIPLINAR. HIST.  
QVOD GOTTINGAE FLORET, SODALIS

ET  
GOTTFR. AVG. BÜRGER  
ASCHERSLEBIENSIS  
LITTERARVM SACRARVM ET ELEGANTIORVM  
CVLTOR.

PARS PRIOR.

HALAE  
EX OFFICINA CVRTIANA.

*Hamburg pro  
Viro Celebrissimo  
Vandell von No. 2 der für gelind am 23. Januar. 1767.*